



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Epistola CII. Leonis Papae I. Ad Presbyteros Et Diaconos Ecclesiae
Alexandrinae. Commendat eorum mutuam caritatem, & labem
haereticorum fugiendam monet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

est Christus Iesus: qui vniuersum mundum non reconciliaret Deo Patri, nisi per fidei regenerationem omnes in nostræ carnis veritate susciperet. Cum ergo scribendi opportunitates, quibus fraternitas tua vtatur, extiterint, sicut necessarie & ex more fecisti, vt per filios nostros Daniele presbyterum, & Timotheum diaconum, ordinationis tuæ ad nos scripta dirigeres: ita omni tempore in hoc officio perseueres, vt de prouectibus pacis sæpe, quantum fieri potest, sollicitudini nostræ mittantur indicia, vt per alterna colloquia sentiamus, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Datum xv. Kalendas Septembris, Magno & Apollonio consulibus.

Rom. 5.

EPISTOLA CII.

LEONIS PAPÆ I.

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS ECCLESIE

ALEXANDRINÆ.

Commendat eorum mutuam caritatem, & labem hæreticorum fugiendam monet.

Leo episcopus presbyteris & diaconibus ecclesie Alexandrinæ, dilectissimis filiis in Domino salutem.

GAUDEO exultanter in Domino de piissimo, quem inter vos habetis, affectu; dum, sicut scripta vestra manifestant, & pastor gregem, & grex ostenditur amare pastorem. *Soliciti ergo in inuicem*, sicut Apostolus ait, *seruare unitatem spiritus in vinculo pacis*, properate * ad fructum veræ ^{ut possitis} peruenire patientiæ. Quid enim dignius aut velle potestis aut agere, quam vt, auxiliante Dei gratia, gloriosissimi principis fide ad profectum solidissimæ pacis vtamini? remota procul ea bestia, quæ vineam plantationis dominicæ, sicut psalmus propheticus canit, singulari feritate vastabat. Quia ergo in ouili dominico nec furum iam infidiæ, nec latronum timentur incurfus, redeat vniuersitas vestra in concordiam, & magisterio Spiritus sancti illa in omnibus vnitas expetatur, propter quam dicit Apostolus: *Non querens quod mihi utile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Id ipsum dicant & sentiant omnes: nulla sint sensuum disputatio-

Ephes. 4.

Psal. 79.

1. Cor. 10.

numque certamina. Quod vsque ad catholicos præfules in Alexandrina ecclesia discipuli veritatis didicerunt atque docuerunt, eadem a cunctis fidelibus confessione promatur: quia varietatem veritas (quæ est simplex atque vna) non recipit. Si quos autem cuiuslibet ordinis Christianos impia hæreticorum conturbauere mendacia, ad satisfactionis remedia prouocate, & in spiritu mansuetudinis cum benignitate corripite: quia, sicut ait B. apostolus Petrus, *non tardat Dominus promissum, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam conuerti.* Agendum ergo est, ne difficultas veniæ curationem faciat tardiozem. Data decimoquinto Kalendas Septembris, Magno & Apollonio consulibus.

EPISTOLA CIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD QVOSDAM ÆGYPTI EPISCOPOS.

Ægyptios episcopos laudat, quod nulla seditione, nullo ambitu Alexandrinum elegerint episcopum.

Leo episcopus Theophilo, Ioanni, Athanasio, Abrahamæ, Danieli, Ioabæ, Paphnutio, Musæo, Panuluo, & Petro episcopis Ægyptiis.

LITERIS fraternitatis vestræ, quas ad me filii nostri Daniel presbyter & Timotheus diaconus detulerint, cognouisse me gaudeo, quod gloriosi & venerandi principis fides, propheticis & euangelicis vnita doctrinis, ad sanctos & Deo placitos dispositionum suarum deuenit effectus, vt cruentissimo Alexandrinæ ecclesiæ peruasore deiecto, & in longinquiora translato, dignum sua gubernatione rectorem totius ciuitatis mereretur electio: ad cuius vos consecrationem nullus ambitus traheret, nulla seditio impelleret, nulla iniquitas incitaret: sed in medio constituta meritorum sanctitate, eum cunctis non dubitaret præponere, quem sibi vniuersitas cuperet præfidere. Vnde reddita populis Christianis Dei pace gaudentes, commendamus vobis inuicem vestri operis dignitatem: vt religiose per omnia ordinatus antistes, fraterno se viuere experiatur assensu, & ad abolenda scandala,